

QVÆ RES REI SCHOLASTICÆ REIQVE
ET IN UNIVERSUM LITERARIÆ
OPTUME VORTAT!

BONI PRÆCE-
PTORIS
I D E A,
ORATIONE INAUGURALI

expressa :

quam

de

PRÆCIPUIS
MAGISTRORUM SCHOLICORUM
QUALITATIBUS
conscript,

inque Solemni trium Superiorum Collegarum,

PRO-RECTORIS,
CON-RECTORIS,
SUB-RECTORIS,

Introductione,

Jussu & Autoritate Superiorum,

ANNO *cl* *l* *sc* LXXXIIX,
D. XV. MARTII,

publicè habuit.

AUGUSTI GYMNASII GORLICENSIS
RECTOR,

CHRISTIANUS FUNCCIUS.



GORLICII,
Prelo Zipperiano.



AUGUSTI AD NISSUM GYMNASII
MAGISTRIS DEXTERRIMIS,
VIRIS

Clarissimis, Praestantissimis, Humanissimis,
Doctissimis,

DNO MARTINO RICHTERO, Pro-R.
DNO CHRISTIANO HAUFFIO, Con-R.
DNO JOH. WENCESL. HEINKIO, Sub-R.
DNO CHRISTOPHORO MOLLERO, Cant.
DN. GODOFR. SCHWERDFEGERO, Coll. VI.
DNO JOHANNI KETSCHAVIO, Coll. VII.
DNO CHRIST. GABR. FUNCCIO, Coll. IIX.
DNO GODOFREDO THESEO, Coll. IX.

Conjunctissimis Dnn. Collegis suis, suis & Com-
patribus atque Amicis, Affini item & Filio,
Carissimis omnibus ac singulis Capp.

D. D. D.

CHRISTIANUS FUNCCIUS,
Rector.

DEDICATIO.

A cceptate VIRI, COLLEGÆ prendite Chartam:
Offert quam Vobis Dexteræ FUNCCIADÆ.
Est non tam munus placitum, quàm Symbola Mentis,
Mentis, quæ Vobis maximè & ipsa cupit.
Respicite hinc Mentem, non Chartam, fronte serena,
Et memori Vestrum Mente tenete Senem.
Vester erit totus: totus Vesterqve manebit:
Seu Sol, seu furvâ luce Diana micet.



AUSPICE JESU MEO OPTUMO!



IN jucundissimis illorum, qui situm ORBIS TERRAQVEI, inque hoc ipso varios ac propè infinitos locorum situs, situs Marium, Lacuum, Fluviorum, Promonteriorum, Montium ac Sylvarum, Regionum item, Urbium, Arcium, Vicorum, cæterorumque cum Adjunctis suis situs graphicè nobis per aliquot Secula descripserunt, Monumentis memoratur, laudibusque & ipsa suis dignè celebratur,

EXORDIUM paulè altius à tribus quasi Promontoriis omnis bene constitutæ Reipubl. petitum. Exordii hujus (1) PROTASIS.

Terra, tribus scopulis vastum quæ currit in æqvor, TRINACRIS à positu nomen adepta loci.

TRINACRIA.

SICILIAM puto: quæ TRINACRIA olim & TRINACRIS propter tria Promontoria, Pelorum, Pachynum, Lilybæum, dici meruit. Juga enim vel Promontoria Græci AKPA vocant, varièque hanc vocem componunt.

Quod si, VIRI, quotquot adestis, Virtute, Doctrina Dignitateque ac Reverentia maximè conspicui, Consules Summi, Gravissime Prætor, Scabini ac Senatores Consultissimi, Prudentissimi, Per-Reverendi Ecclesie Ministri, Doctores & Licentiati Excellentissimi, Hospites ac Cives Literatissimi, Gymnasti nostri Collegæ Clarissimi, Patroni, Fautores, Amici observandi, optumi denique Juvenes, Pueri lectissimi, dilectissimi, quod si, inquam, Ego trium intra tres, & quod excurrat, annorum Decades Gymnasiorum per DEI gratiam Magister, ut promiscuè cujuslibet bene constitutæ Reipubl. ita seorsim inclutæ Civitatis nostræ TRINACRIAM memorarem, pariterque laudibus celebrarem hodie: nequaquam sanè à recto Veritatis tramite deflecterem.

(2) APOBOSIS (α) generatior.

Est, est me Christe, SCHOLA, CURIA, FLAMINIA omnium optimè constitutarum Rerumpubl. TRINACRIA. TRINACRIS quædam earundem est SCHOLA, est CURIA, est FLAMINIA. FLAMINIA primum tenet apicem: quippe quæ, quum vel semel vero DEO sit consecrata, & in sincera Verbi divini prædicatione, & in legitima Sacramentorum administratione occupatur. In medio incluti Magistratus præsidio ac nomine CURIA effulget. Effulget post SCHOLA: quæ utriusque quidem illi, & FLAMINIÆ, & CURIÆ, imò universo Christianorum Orbi, ministerium suum probat ac præstat, dignitate ipsa minor, utilitate verò ambabus illis ferè par, fons omnis, cum publicæ, tum privatæ, salutis limpidissimus.

Reipubl. bene constitutæ cujusvis Trinacria.

1. FLAMINIA.

2. CURIA.

3. SCHOLA.

Dicerem Ego equidem de tribus illis, quæ TRINACRIAM quandam Rerumpubl. hodie mihi faciunt, conjunctim: nisi de SCHOLA, FLAMINIA interim missâ & CURIA, separatim in hoc ipso Orationis limine foret dicendum.

EA

(β) Specia-
lior, quæ spe-
cialitatem est de
SCHOLA.

SCHOLÆ
convenientis-
sima Epitheta.

Apodosios.
Specialioris
ÆΤΙΟΛΟΓΙΑ.

Excursio in
L. C.
de Mediis
præcipuis
quamvis So-
cietatem hu-
manam con-
servantibus:
eujusmodi sūt
1. VERITAS,
2. JUSTI-
TIA.

Et de SCHOLA in præsentī quidni potissimū dicerem?
Dici namque non immeritō de ea potest: quod sincerus ac grandis
Rerum in Atticā gestarum pronunciator, THUCYDIDES, de
clarissimā Græciæ Stella, de Lare ac Regia Græciæ, de Græciæ
Prytanéo (*Athenas* intelligo) pronunciauit olim, Athenarum Ur-
bem ἑλλάδα ἑλλάδος, h. e. *Græciæ Græciam*, esse dicens. Dicit eti-
am de SCHOLA jure meritoque, quod apud fidelissimum Histo-
riæ priscae Bibliothecarium, DIODORUM SICULUM, de Athenis
relatum legimus, dici potest: κοινὸν παιδευτήριον πᾶσιν ἀνθρώποις, h. e.
communem omnium hominum eruditricem, eam esse. Hæc utique
& alia Epitheta quamplurima de SCHOLIS commodissimè usur-
pari queunt.

Sunt enim Scholæ omnium Virtutum, omnis officii ac
disciplinæ, convenientissimæ officinæ: sunt laudatissimarum
Artium omnium omnisque Sapientiæ procreatrices. De-
scendit profectō ex his omnis ad omnes humanæ vitæ Status
ac Ordines honestè vivendi ratio: nascuntur ex his omnes bonæ
leges: omnis doloris medicina, omnium vitiorum peccatorumque
correctio ex his proficiscitur. Nemo siquidem mihi persuadebit, posse
fieri: ut quisquam tam in scientiis quam in actionibus excellat:
nisi ex aliis in Scholis scire & agere didicerit, alios in Scholis au-
dierit, è Scholis conquisiverit, quibus ingenium suum excolat.

Non verò jam attinet dicere, neque etiam necesse est, apud
Vos Viros, humanæ vitæ intelligentes, de singulis Disciplinis ea-
rundemque in Templis, in Curiis, in Familiis usu necessario
differere. Duobus namque verbis, quasi per compendium, osten-
diffe sufficit, duas res maximas esse: quibus, vel ipso Spiritu S.
teste, humana Societas velut superstructa conservetur. VERITAS
altera est, altera JUSTITIA: quarum illa instar Encyclopædiæ
Scientias omnes; hæc, velut Metropolis ἀγαθῶν, virtutes omnes
complectitur. Utriusque igitur rei hujus cultus in Scholis si ne-
gligatur: Religionem obscurari, Judicia & Leges tolli, Æquitatem
filere, disciplinam cessare, honestos convictus societatisque officia
negligi, vitam verò Cyclopicam omnemque barbariem locum oc-
cupare vastitatemque inferre Civitatibus, omninò necesse est.
Nec enim, audiendos esse, censeo: qui Marti tantum confusiones
Ordinum ac Societatum civilium interitus imputant. Evitari
quippe hi & in sago & in toga possunt: si, consilium Conuphis,
Prophetæ Ægyptii, secuti, Musis, quod apud *PLUTARCHUM*
in *Genio Socratis* est, certamen edamus, bonisque Artibus mentem
in Scholis excolamus. Non absque involucro Delii id insinua-
bat *Oraculum*, sed *divinus Plato* clarè explicabat. Erat Oraculi
effatum hoc: *Delii aliisque Græcis calamitatum finem tunc fore præ-
sertim* (id enim de Oraculo quæsiwerant) *si Aram, quæ in Delo erat
cubica, duplicarent*. Sententiam hanc Oraculi quum non assecuti
essent Delii, inque aræ extructione ridiculè iis evenisset, ut pro
dupla Ara quadruplam ex ignorantia proportionis excitarent, Pla-
tonis, qui rerum Geometricarum admodum peritus erat, opem
in ænigmate isthoc enodando implorabant. Is, illudi Græ-
cis, qui eruditionem negligenter, à DEO, horumque inscitia in-
sultari, intelligens, mandari aiebat: *ut Geometriæ darent operam*.
Neque enim hanc Aræ duplicationem Deum requirere aut deside-
rare,

are, sed universis præcipere Græcis, tradebat: ut Musis se dede-
rent, ac, doctrinæ literarumque usu sedatis animorum turbulen-
tis moribus, innoxie civiliterque inter se conversarentur.

Exordii ejusdem
Conclusio.

Quæ quum ita se habeant: SCHOLÆ vel planè invitâ hu-
manâ censendæ sunt necessariae. Necessariæ sunt censendæ non ne-
cessitate tantum, quam vocant Metaphysicorum Filii, expedien-
tiæ, sed & exigentiæ necessitate. Non ad *ἴσως* tantum *εἰς*, sed & ad
ἰσως, Vitæ civili Scholæ necessariae sunt censendæ.

Quandoquidem verò SCHOLA Societas est, quæ docentibus
ac discipulis, h. e. Magistris ac Discipulis, continetur, adeoque &
certæ in utrisque Qualitates, ut omnia in recto sint ordine, requi-
runtur: Ego equidem operæ pretium fore duco: si, missis *DISCI-
PULORUM QUALITATIBUS, QUALITATES MAGISTRORUM,*
hæque saltem *PRAECIPUAE*, Oratione publica in ipso hoc Inau-
gurali Actu cognoscendæ exponantur, pariterque & eadem
IDEA BONI PRÆCEPTORIS exprimat.

Transitio ad
Proposit.

Sic itaque, dum trium Superiorum Collegarum quilibet sub
novo Officii nomine ac titulo inaugurandus hodie, indeque *ἡ ἀδελφότης*
Novellus Pro-Rector, Con-Rector Novellus, Novellus & Sub-Rector,
quibusvis Augusti nostri Gymnasi Civibus sistendus, è More & Con-
suetudine Rectorali prolusus Ego impræsentiarum de *PRAECI-
PUI MAGISTRORUM*, in Scholis publ. qui quidem magisterio
suo docendo funguntur, aut olim functuri sunt, *QUALITATIBUS*
breviter, sed non leviter, dicam. Dicam: *qualem esse oporteat, qui in
Scholis publ. cum fructu docere velit: qui velit cum fructu in Scholis pu-
blicas discere, qualem esse oporteat, ALIO, quod Augurum verbum
erat, DIE dicturus.*

Propositio

Vos, ô Numina ac Lumina Urbis, Nobilissimi, Amplissimi, Con-
sultissimi, maxime Reverendi, Excellentissimi, Experientissimi, simul &
Humanissimi Viri, in suo quisque gradu Eximii, Tuque florentissima
Juventus, propensionis, benevolentiae atque attentionis ventô Pro-
lusionem hanc inauguralem provehite: ut in portum sine offen-
sione ipsa deferatur.

Captatio Bæ
nevolentiae.

At enim verò proh immortalem Deum! quantum Vulgi à
maximorum illorum Regum, Philippi patris & Alexandri filii,
judicò discrepat sententia: utpote apud quem Scholarum Ma-
gistri in magno sunt contemptu. Censetur namque nihil illis penè
omnium hominum vilis: nihil & æquè contemptum, nihil æquè
abjectum, ac Juventutis Præceptores vulgò censentur, censetur.
Excipiuntur hi non semel sibilis, eluduntur cavillationibus, con-
velluntur convitiis: neque majori apud plebem in numero haben-
tur, quam si, de lapide empti, vel ex venalium abstracti grege,
nullius aut usus aut pretii essent. Hos *PERSII* mei verbis,

TRACTATIO,
I.
Præceptorum
Scholicorum
contemptum
obliquis ver-
bis feriens.

*hos populus ridet, multumque torosa juvenis
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.*

Tam obscura proin à non paucis, tam sordida, tam ignobilis
quum docendi illa in Scholis provincia passim judicetur: se Her-
culis fidere prognatos putant: si qui ad Scholam fortè, informan-
dæ juventuti operam navaturi, vel etiam *ἡ ἀδελφότης* non rarò, vo-
citantur. Quin alii potius cum Leonida, Alexandri M. pædago-
go, Magistrorum suorum non sustinentes contemptum, omnem
Spartam Scholasticam tanquam sordidum aliquod & illiberale pi-
strinum,

B

strinum,

strinum fugiunt, tanquam inextricabilem Labyrinthum averfantur. Et tantò sanè, vel ipsà Experientia locupletissimæ fidei teste, in quam plurimis optimarum Artium ac Partium Studiosis persuasio invaluit: ut vix quisquam ingenio doctrinæque præstantior tractare Rem Scholasticam & erudire pubem dignetur, ad aliam quamvis Spartam ornandam se admoveri satius putans, quam ad Scholasticam. Qui, verò ad alios Reipubl. usus fuerint inepti, moribus inelegantes, semidocti, barbari, excolendæ juventutis nescii, cognoscendæ expoliendæque indolis planè rudes, cum maximo Reipubl. damno Scholis passim præficiuntur.

II.
Præceptorum
Schol. Quali-
tates Membris
certis ape-
riens.

Quid ergo, Scholarum rebus tam miserè stantibus, agendum? Evellenda hominum animis vana illa est opinio, & commendandæ vel inculcandæ potius **QUALITATES** sunt: quibus præditos omnes eos esse oportet, qui in Scholis publicè docere velint. Faciam id Ego hodiè, quantum dicendò possum, atque, ut sinistram de Scholis Scholarumque Magistris opinionem multorum animis evellam, **PRAECIPUAS MAGISTRO-
RUM**, qui quidem in Scholis publ. Magisteriò suò docendo jam-jam funguntur, aut olim functuri sunt, **QUALITATES** inculcabo, non nihil fortè, quod spero, ad majus Scholarum hominumque, qui de Schola sunt, æstimum allaturus.

Præcipue Ma-
gistrorum
Schol. Quali-
tates.

Ac primùm quidem extra omnem dubitationis aleam positum hoc est: quòd multarum rerum scientia in Magistro Scholæ requiratur. Qui enim aliis ad ingrediendam & suscipiendam Studiorum omnium rationem ducem se ac principem profitetur, & ingenuis adolescentibus ad solidiorem eruditionem viam aut jam tum munit, aut adhuc muniturus est, multà sanè doctrinà & plurimarum rerum cognitione instructus sit, oportet. Sciat, oportet, eruditiores Lingvas: humaniores Artes sciat, oportet, ὁ πολυμαθές αὐτός ipse καὶ εὐφραδέστατος. Ad doctrinam siquidem & ipsa oratio, è scientiâ profecta, pertinet. Prima igitur **Magistrorum** in Scholis **Qualitas** omninò est **MULTISCIENTIA**. Scientia enim rectam ad felicitatem viam largitur. Ἡ ἐπιστήμη γὰρ εἶναι, *Moses Atticus* ait, ἴην ὀρθότητα καὶ εὐσυχίαν ἢ παρέχουσα. Verùm in Ludimagistro quum haut sufficiat multa nosse, multa legisse: ut ea quoque, quæ didicit ipse, quæ legit, alios docere possit, subindè requiritur. Nam, quæ ad usum referuntur aliquem, ea, nisi aliquando ipsi obeamus, quantumcunque exposita habeantur & percepta, nunquam tamen rectè exequevur. Quippe, quum manum admovebimus operi, non multum aberit: quin tam novi veniamus, quam qui nihil prius de eo cognoverunt.

I. MULTI-
SCIENTIA.

Ars docendi

Est profectò aliud scire multa, aliud alios ea docere, h. e. cum assensione ac persuasione quadam tradere posse, æquè tamen utrumque in uno viro necessarium. Qui enim posset dare quispiam alteri: quod ipse non habet, aut non novit? Δύναται δ' αὖ τις, quærit *divinus* in *Alcibiade* Imo *Plato*, μελαδιδόναι, ὃ μὴ ἔχει; Et qui item posset aliquis dare aliis, quæ habet: nisi docere ipse dicerit alios? Rectè informare non est cuiusvis, *Magnus Stagira* ait *Alumnus*. Et *disertissimus Romuli Nepotum* fatetur: quòd docere *Artis sit*, quòdque & *Ars quædam sit docendi*: quam si haberemus, bene nobiscum actum videretur.

In tantâ verò rerum diversitate, quâ quidem hodiè distringimur,

mur, quæ Ars rectè docendi foret? Artem enim docendi, quæ recta sit, propè nullam esse, facile datur cernere. Videmus utiq; multis modis: quò pactò alii latâ viâ ad Musas grassentur, alii per ambages & circuitus, alii per devia quæque ad eruditionem perveniant; pauci verò ad optatam veræ Doctrinæ metam contingant, & si qui emergunt, magis ingenii bonitate, quàm institutionis ope, emergant.

Quid causæ in corrupta hac ac vulgò depravatâ docendi discendiqve ratione subsit, Vos *Venerandi* quæritis *Auditores*? In causâ procul dubio est, appositè *GVILIELMUS MECHOVIUS Hermathenæ Tractatu* Imo respondet: quòd quisque sibi docendi modum quendam quærat, & tanquam in ignota sylva modò hanc, modò illam semitam ingrediatur. Enimverò tanta hodiè in docendo, Idem ille alibi conquiritur, opinionum est diversitas, tanta dissensio: ut mihi in memoriam sæpenumerò admiratio hæc veniat: cur *Megistanes* id in cogitationum suarum consilium non adhibeant: quò tantum detrimenti patriæ imponitur.

Corruptæ de
pravatæque
doctrinæ ac
dissentia
causâ.

Sunt nimirum, sunt, ut alios quosvis hodierni ævi Didacticos mirâ sua arte ludentes, vel pueris potius illudentes, mittam: qui solum usum sine præceptis urgent: sunt, qui variis fictionibus, vel foliorum, vel tessellarum lusoriarum, aut aliorum id genus plusquam puerilium nugamentorum similitudine efformatis, conceptus contra ordinarias docendi leges multiplicant: sunt, qui fastidium Autorum delectum, gravidarum, ad omnia nauseantium, mulierum more modoque, ad superstitionem usque institunt, & quem hodie in unum collatis suffragiis approbaverunt, cras vicissim, misso repudii libello, ejiciunt, aut ejectum Civitate in Insulas deportant, ac recentiore quemlibet substituunt: sunt, qui nihil edisci volunt, sed per continuos discursus, captum sæpe audientium transcendent, vel aures etiam horum facile prætervolantes, varietate rerum animos discipulorum imbui malunt: sunt, qui præproperè, ubi nondum prima jacta fuerint fundamenta, ad loquendi scribendiqve exertitationem adigunt pueros, aut alias tironibus licentiam ad disputandum, ad perorandum, patefaciunt: sunt, qui omnia in Scholis Lingvâ nostrâ Vernaculâ vendere amant, Latinam ac Græcam parùm curantes Lingvâ, multò minus svavissimam utriusque Poësin ipsi urgentes: sunt non pauci item, qui immensum mare augustissimæ cuidam lacunulæ infundere, h. e. res longissimi & temporis & laboris, ut levissimas ac brevissimas, proponere, aut certas, easque satis curtas, informationi absolutæ præfigere metas nulli dubitant: sunt, qui *Lullii* vel *Ratiarii* Methodum commendant alii, alii Didacticam eligunt *Becheri*, illi quidem per *Circulos*, hi in *Theatro* etiam *Naturæ & Artis* variarum rerum faciem exhiberi pueris cupientes. Ita sanè diversi diversa in hoc arduo agunt negotio, multiqve & multa de institutione juventutis rectè suscipienda fermocinantur, nudi sæpe ipsi *θεωροί*, sed rationis docendi planè ignari, fucum tamen non rarò facientes, vel fumum quoque vendentes parentibus. Unde nil mirum: si inter ipsos *Ludimagistros* quoque locum suum inveniat *Græcorum* illud *Adagium*: *Ναρθυκοφόροι μὲν πολλοί, Βάκχοι δὲ γὰρ σῆσοι*, h. e. *Thyrifigeri multi, Bacchi verò pauci*. Erit itaque præcipuum heic rei caput: ut *Magistri*, si magisteriò suò rectè fungi docendo amant, & multarum rerum scientia maturè tingant animum.

Didactici
varii.

num, & simul oratione ad docendum accommodatâ, quam bre-
vitas, quam perspicuitas, quam & fidelitas commendet, alios do-
cere discant. Nam ii, qui Scholas habent, ab auditoribus non in-
telligi solum, sed etiam cum voluptate audiri debent.

II. VIRTUS
VARIA.

Sed *altera Magistrorum Scholicorum* audienda sequitur *Quali-
tas. VIRTUS* hæc est *VARIA*, individua Scientiæ multæ comes, ipsa
per se res præclara, inque actionibus humanis efficacissima. Pro-
fectò enim, nisi *Virtus* in Scholico Magistro cum *Scientia* con-
juncta fuerit, nihil planè, aut parùm saltim in statione sua efficiet:
sed alterâ magis destruet, quam eriget, quod una manu struxit.
Quid? quòd & ad optatam, *πολυμαθῆς* licet ipse fiet, nunquam
perveniet metam Ludimagister: cui non par est cura: ut honesta-
tem maximè colat, ipseque tanquam viva lex discipulis obambu-
let. Ideoque non minus rectè, quam politè, politus ille, si quisquam
alius, & sævus, & ornatus *Epistolographus*, PLINIUS JUNIOR,
Hispullæ suæ sùadet: *ut filium præceptori tradat, à quò primum mo-
res, mox eloquentiam, quæ malè sine moribus discatur, discat.* Est
videlicet certissimum id: quòd, quemadmodum *Virtus*, insigni
Doctrina instructa, magnam gloriam, & decus, & emolumentum
conciliat, ita *Scientia* ex adverso sine *Virtute* perniciem ac pestem
machinetur. Nec & turpe tantum est docenti, si regere se nesci-
at; verum etiam ridiculum foret, custodem custode indigere.
Ne dicam, Magistris, qui *Virtutem* non putant præcipuam, qui-
bus item honestas in primis non habetur, non rarò evenire: ut à
pueris, quod illi olim apud Spartanos bellum sùadenti occinebant,
occinatur ipsis: *qualis tu es, qui bellum nobis sùades?*

(1) PIETAS.

Ohe verò! Dicite mihi, sultis, *Auditores*: ecquam inter præ-
cipuas Magistrorum Scholicorum *Virtutes* *Virtutem* ducere fa-
miliam putetis? Puto ego equidem: quod familiam hæc ducat *PI-
ETAS*. *Pietas* una est: quæ, quum verum de DEO vero sensum,
verumque veri DEI cultum, comprehendat, prima & antiquissi-
ma semper à Juventutis Moderatore haberi debet. Et quidni?
Pietatis quippe quò studiosior aliquis est, eò de se sperare melius
ipse potest: possunt & alii de ipso sperare melius. Dum orat, dum
psallit, dum interest Sacris, dum nullum diem, quin divina ora-
cula evolvat, quin sacros verset libellos, præterire patitur, pii ac re-
ligiosi Viri facit officium, aliosque & ad paria facienda suò exem-
plò invitat. Unde persuasissimum Vobis, *Auditores Venerandi*, id
ducatis, velim: eum, qui utilissimum docendi munus profitetur,
quique ad veram sapientiam florentissimam Juventutem ducit, an-
te omnia *Christiana Religione*, sed *Orthodoxâ*, imbutum esse oportere,
oportere & talem eundem esse, qui Deum Opt. Max. purâ, integrâ
incorruptaque mente ac voce veneretur. *Religione vita omnis con-
stat*, Naturæ, Protonotarius, *Plinius*, ait. Est & nihil veri, nihil fan-
cti, nullum jusjurandum, nulla Religio: ubi nullus DEI metus.
Indignus proinde, cui proles informanda committatur, jure me-
ritoque suo esse censetur: qui adeò demens aut vecors, tantisque
tenebris, tenebris, plusquam Cimmeriis, obvolutus: ut aut DEUM
esse non credat, aut divini Numinis abjiciat reverentiam.

(2) PRO-
BITAS.

Proxima à *PIETATE*, qua sine nemo placere DEO, nemo
ad DEUM pervenire potest, *Vitæ Morumque* est *integritas*. Uno
nomine *PROBITAS* dicitur, recta in moribus & omni actione
vita,

vita, vita verbis consentiens virtutibusque respondens. Hæc, hæc nimirum ipsa, ut commendatissima Ludimagistris omnibus esse debet, ita non parum, si adsit, discipulorum exædificat mores. *Eligamus*, Romanæ Stoæ Princeps monet, *Viros, qui vitâ docent: qui, quando dixerint, faciendo probant: qui docent, quid vitandum: nec unquam in eo, quod fugiendum dixerunt, deprehenduntur.* Aureum profectò est monitum: monitum cedrò est dignum. Et sanè consentit optimus ille prætextatorum apud Romanos. quondam puero- rum Magister, *FABIUS*, à Præceptore id præ cæteris postulans: *ut vitia nec habeat, nec ferat: ex quo verò nihil puer audiat, nisi pro- futurum; nihil discat, quod nescivisse rectius fuerit.*

(3) FIDE-
LITAS

Uti verò innocentia & singularis vitæ integritas in Præce- ptore, qui tam vita & exemplo, quàm voce & sermone vult pro- desse, requiritur: ita quoque *FIDELITAS* ab illo poscitur. Poscunt homines: ut fideliter doceat: ut doceat absque invidia, atque cum omnibus ex æquo eruditionem suam communicet. Vi- derat *ZENO CITTICUS* hoc olim. Ideoque, quum ad Cypri Re- gem de institutione nonnulla scriberet, inter cætera quoque *ἡ ἀφρόνως διδάσκειν* recensebat. *Sunt enim nonnulli, PLINUS MA- JOR*, Plinii junioris avunculus, conqveritur: *qui, quum pauca ali- qua noverunt, recondunt ea, invidentes aliis bona, tanquam ipsis perituro sit, quod tradiderunt aliis.*

De *DEXTERITATE*, inter Virtutes Ludimagistrorum quæ numeratur, quid jam dicam? *PRUDENTIAM* autem in- telligo: quâ intellectus, agendorum rectâ scientiâ instructus, scit rectè informare. Res namque non parvi momenti est in Scholis *δύναμις ἐμπνευστική*. Quæ si absit, frustrâ defatigantur Pædagogi: haut secus ac ille imprudens juvenis, totam equi caudam complexus, defatigabatur: ubi interim senex, paulatim evellens, totam facile caudam depilabat. Romanorum Oratorum Principem, hæc de Lu- dimagistrorum prudentiâ differentem, audiamus. *Diligentiissimè, ait, hoc iis, qui instituunt alios atque erudiunt, videndum: quò sua na- tura quemvis maximè ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi Ludo summorum, in suo cujusque genere, artificum & ma- gistrorum exiisse discipulos dissimiles inter se, at tamen laudandos: quum ad cujusque naturam institutio doctoris accommodaretur.*

(4) DEX-
TERITAS,
seu
PRUDEN-
TIA SCHO-
LASTICA.

Intelligitis è dictis, *Auditores*: quæ à me heic *Prudentia*, quam sub peculiari *Dexteritatis* nomine signari volui, intendatur? Intendi- tur non illa, quâ Regna & Imperia continentur, sed hæc tantum, quæ ad cætus juvenum discipulorum moderandos satis est, *PRUDEN- TIA*. Certè enim ut in corporibus magnæ dissimilitudines sunt: sic in animis quoque majores existunt varietates. Prima igitur Pru- dentis Magistri cura hæc in parte est, traditò puero naturam sta- tim perspicere, h. e. videre, quò quemque sua ferat natura. Al- tera est, experiri, quomodo discipuli sit animus tractandus: num remissè ac molliter, num imperiosè, num metu, num minis, num aliquo cum impetu. Tertia est, adjuvare, quæ in quoque di- scipulorum invenerit, bona, & quantum fieri potest, adjicere, quæ defunt: quædam emendare etiam ac mutare. Hæc videlicet tria illa sunt: quæ prudens Magister maximè curat, discipulorum insu- per cupiditatem, nunc huc, nunc illuc, nunc istuc, dirigere laborans,

Magistri pru-
dentis cura.

I.

II.

III.

C

Pru-

(5) INDU-
STRIA.

Prudentiæ Scholasticæ jungenda è cortina sua prodit *INDU-
STRIA*. Industrium enim, gnavum, nec ullius laboris, ne Her-
culei quidem, fugientem virum publica juventutis institutio po-
stulat. Postulat Virum: qui, Spartam sibi concreditam viriliter
ornaturus, nihil molestiarum devorare, nihil curarum concoque-
re, nihil difficultatis adire detrectet. Virum & ipsa postulat: qui
ultra concubium noctis lucubrationes suas producat, aut anteluca-
nas fabrorum operas antevertat. Nec immeritò verò laboriosissi-
mus heic vir requiritur. Nam non leve negotium ei est: cui
supremus cœli Monarcha immortales in his terris animas forman-
das ad perennem nominis sui gloriam ac perpetuum humanæ socie-
tatis splendorem tradit: cui Respubl. spem posteritatis commen-
dat: cui parentes liberorum suorum salutem committunt: cui a-
dolescentes semetipsos, atqve omnem suam vitam, suos mores con-
credunt.

Magistrorum
Schol. mole-
stia ac diffi-
cultates.

Exsurgunt non rarò in Scholis, exsurgunt Phaëthontes, in-
cendiis omnia misturi: omni nisu qui retrahendi. Offerunt se in
iisdem non semel Icaris, per æera volaturi: qui maturè revocandi.
Occurrunt Narcissi quandoqve, per oculos ipsi suos perituri: qui,
ne nimium credant colori, commonefaciendi. Multò advertuntur
cū tædiò Ulyssis Socii quidam: qui, tenui Circes verbere percussi,
inque porcos transmutati, ad pristinam formam magnò studiò re-
ducendi. Midæ quoque fratres adsunt: adsunt blitei & blenni,
bardi & tardi: qui, quum cerebrum non habeant, cerebro ali-
quo implendi. Nisi ergo Ludimagistrorum aliquis in tot tantisq;
rerum difficultatibus, in tam arduis, tam variis, tam tædiosis ac
molestis negotiis, omnem lapidem moveat; nisi omne suum studi-
um, omnem operam, laborem omnem heic impendat, parum pro-
ficiet, omne perdet tempus. O quantæ & molis est: quantum &
temporis in eo maximè locandum: ut adolescentum, qui quidem
apti nati sunt ad studia, animi è fœdis ignorantia tenebris ac mali-
tiæ sordibus in lucem rectæ rationis protrahantur! Ursæ informes
parere catulos olim creditæ: quos sæpiùs lambendo figurarent ac
perficerent. At longè verò majoris operæ res est, ex rudi no-
dosoque ligno in Scholis Mercurium fingere ac hominem formare.
Pictores multas ducere lineas videmus, antequam imago aliqua fi-
at: quæ cum Phidiæ Minerva in arce poni possit. At quanti verò
studii, quanti laboris res est, humanam formam intra Scholarum
parietes hominis induere animo: qui alibi totâ ferè ætate ex in-
scitiæ tenebris ac malitiæ sordibus, Sisyphæo etiam labore vel Dæ-
dalea manu, vix educeretur? Non possum temperare mihi, *AU-
DITORES*: quin altâ voce jam nunc exclamem: ô durissimam,
quam nanciscuntur, quos ad hunc clavum sedere illa rerum vult
Destina, provinciam! Ita equidem non immeritò heic expertus
Rupertus exclamo. Ecquis enim diutiùs jam ambigeret, planè Her-
culis fidere procreatum Scholæ Magistrum esse: utpote cui quasi
ab angve Lernæo tot superata malorum capita renascuntur?

(6) SEVE-
RITAS
&
LENITAS.

Sed ecce quodam quasi sororio vinculo junctæ in Virtutum hoc
ordine *SEVERITAS* & *LENITAS* succedunt. Succedit, inquam, leni-
tas severitate, & severitas lenitate temperata. Est ita namque: quod
severitas in Præceptore publico requiratur, sed lenitate quâdam
condita:

condita: quòd & requiratur lenitas, sed severitate quâdam, ne deteriores indulgentiâ nimîâ evadant discipuli, nonnunquam exasperata.

Difficillima me - Chrifte hæc est societas. Societatem puto gravitatis cum humanitate, & humanitatis cum gravitate: quas quidem, quum diversæ sint virtutes, optare potius licet, quàm reperire semper junctas. Quare, quum in Xenocrate locum quondam illæ non haberent, inclamare solebat *PLATO*: *δύς τὰς χάρισιν*, h. e. *Gratiis lita*. Nec secus mihi id videtur. Videtur & haut secus: quòd *PLINIUS* meus vult, *obvium esse*, jubens, & *expositum Magistrum plenamque humanitatis, quam præcipit*. Nam summam illam molestiam, quam juvenus in discendo percipit, jucunditate quâdam condire, in rem est scholasticam. Postulabat id Laches etiam apud *PLATONEM*, præceptorem bonum cupiens: ne fortè, quum invitus disceret, indocilis videretur. Displicebat enim tristior, qui Publ. Thrasæam occiderat, Pædagogi vultus: displicebat obliquo aspectu terribilis ac plagosus Orbilius.

Utriusque Societas difficilis.

Hem autem quàm crebrò *GRAVITAS* quoque, præprimis ubi risu & joco scopus obtineri nequeat, adhibenda, vultusque ille formosus Præceptoris in rigorem vertendus! Nam testis est locupletissimæ fidei experientia: quòd nimia lenitas in Scholis valde noceat. *Blanda Magistrorum facit indulgentia segnes*. Quid? Nonne grandiores aliqui, imò hodierno die non pauci natu juniores, sunt in Scholis: qui Præceptori rectè monenti duram cervicem, aut præclare docenti turgidum ac fastuosum ventrem objiciunt? Ad sunt omnino refractarii: ad sunt indomiti vituli. Sed baculus aut ferula afferatur: quibus in ordinem redigantur audaculi. Carceres aperiantur: quibus effrenes immittantur juvenes. Nolite mussitare *Vobiscum, Auditores*, Scio enim: quid dicturi sitis. *Invitos, dicetis, difficile est ad venandum trahere canes*. Sed trahentur tamen: ubi mortui, ut cum jocorum facetiarumque Latinarum Patre, *PLAUTO*, loquar, boves illorum tergora incurfaverrint. Ignem & ferrum adhibent Medici: ubi cataplasmatibus & blandè mollientibus non cedit malum. Extremus namque morbus extremis quoque remediis est agitandus. Pareant scuticæ, pareant flagello, pareant scipioni, pareant carceri: quotquot freno non parent. Ita fanè, justo abreptus Zelo, inclamo. Nec tamen mihi, dum me cohibeo, *DORNAVII* nostri consilium displicet: quod in suæ de *severitate ac lenitate in Republ.* & *Schola Orationis* fine suggerit. Is namque, posteaquam distinctè magis & apertè, quàm subtilibus gryphis, disputasset: *plusne proficiat Princeps in Republ. & Magister in Schola severitate atque austeritate, quàm clementia & lenitate?* omnia tandem in unum quasi fasciculum colligit, ac dicit: *sicut Princeps, etsi tum felicitatis publicæ tum suæ defensionis gratâ lenitate indiget, personarum tamen mores & studia observat, in criminibus quoque enormibus, commissis in DEUM, commissis in suam personam, commissis à pravis ac seditiosis civibus; in disciplina item militari summam severitatem aliquâ clementiâ temperat: ita Magister Scholæ nunc ingenium volubile mitius tractet, tardum paulò asperius, medium mediò modo: probitate morum insignitum monitis provehat: improbum tempestivè stimulet: minorem pelliciat, majorem trahat:*

Gravitas vel sola necessaria Ludimagistro.

sic

sic tamen, ut, ad auream mediocritatis stateram omnia prius expensa, ad singulorum ingenia applicentur. Huc usque Vir, cujus nomen dudum Eloquentia in Albo Æternitatis posuit, bene & ad rem appositè differit.

(7) *MANSVETUDO.*

Attamen quæ subito jam mihi è mente in linguam venit, æquè præcipua Scholici Magistri Virtus? Est *MANSVETUDO*, proxima lenitati ac clementiæ: quâ severitas temperanda. Etenim placidi nihilominus animi esse Scholæ decet Magistrum: sive doceat ipse, sive moneat, sive etiam puniat. *Maximè ad rem pertinebit, ROMANÆ PORTICUS ZENO* inquit, *Præceptores Pædagogosque pueris placidos dari. Proximis enim applicatur omne, quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit. Imperiosi atque interim sevientes stultitiam perdocent.* Nunc igitur in nonnullis conivendum, nunc dissimulandum, nunc & patienter quædam ferenda. Videat verò ante omnia Scholicus Magister: ne quid iracundiâ peccet, nec iratus cædens puerum, nec ad minimum erratum statim in capillos adolescentum involans, aut supra modum indignans, multò minus maledicens pueris. Quin potius, quum sciat, Scholam Ludum esse, ludendo in omnibus det operam, tacitè secum ad singula, si fortè offendatur juvenum delictis, dicturus: *hæc & ipse in juventute mea comisi.* Nam, si Ebræorum Veriverbo credamus, *אדם לא יחטא* h. e. *non est homo, qui non peccet.*

(8) *TOLE- RANTIA.*

Restat, quæ agmen heic claudat, *TOLE RANTIA*, summa cæterarum *Virtutum perfectio.* Adhibendus siquidem Præceptoris sæpenuerò est animus: qui adversa æquè toleret, & quicquid adversi acciderit, fortiter sustineat. Sustinenda nunc multis locis Superiorum in curandâ re Scholastica est negligentia: sustinenda nunc parentum in rectè educanda sobole est incuria, suntque horum item sæpe sustinenda, si castigentur filii, odia: sustinendus est nunc discipulorum stupor, horumque & sustinendus est rancor: nunc plurimorum sustinendæ sunt obrectationes, horumque, à quibus juvandus Magister Scholæ erat, adversationes. Sustinendum denique est & hoc: quòd optima quæque ingenia, caudicibus, stipitibus, asinis, plumbeis relictis, alio transferantur. Ne quisquam ergò sibi heic persvadeat, velim, in Scholis rosas calcari, aut Genio ibidem in omni deliciarum genere litari. Laborandum est: vigilandum est: sudandum est. Est & multa bibenda fuligo, multa subeunda acerbitas. Jure hinc meritoque exclamet, an conqveratur Magistrorum aliquis?

*Pro tam difficili plenaque labore palæstra
Hi sunt thesauri divitiæque meæ:
Pulveris absorpti drachmarum pondera centum,
Pædorum & bilis mista selibra duum.
Lasa valetudo, macies cum tusse, catarrhus
Cum peripneumonia, pallor in ore gravis.
Ira, odium, invidia & livor, contentio, pugna,
Nilque nisi in vacua Bibliotheca domo.
Ære crumena carens, perpauca aut gratia nulla,
Grandia magnifici lucra Magisterii.*

*Quid tacetis Auditores? Quid miramini? Frontes cur caperatis?
Alter alterum cur obliquis oculis intuemini? Non nova Ego cecini.*

cini. Cecinit enim aliquot ante me natum annis veriora hæc, quam quæ verissima, longè meritissimus Juventutis Magister: cui *WEINERI* erat nomen.

O si vestra jam nunc, *A. V.* pace mihi ex hoc altero Orationis meæ ramo, qui, longè lateqve extensus, in aliquot dividebatur ramusculos, liberrimum facere saltum liceret! Licebit omnino, si vestri repente mutati vultus me non fallant, in tertium illum, non tam ramum, quam ramusculum, transilire. Tertia enim *Magistrorum Scholicorum QUALITAS* in decursu hoc Orationis dicenda superest. Superest, quam Præceptori publico, si quid is ipse in Sparta sua valere apud alios debeat, inesse oportet, paucis dicenda *AUTORITAS*. Amplitudo hæc in genere est ac vis quædam: quæ per eminentiam aliquam ex genere, ætate, meritis, opibus item & dignitate, ad movendum respectum, ad obsequium ac reverentiam apud alios excitandam, alicui inest, cum gratiâ crebrius quam cum metu conjuncta. Duo nimirum conjuncta hæc, *GRATIAM & AUTORITATEM*, semper commendari, five in facie, five in sermone, five in actionibus, videmus. Laudat *Gratiam* hujusmodi & *Autoritatem* in Bruto Vates nunquam silendus, *SILIUS ITALICUS*:

III. *AUTORITAS & GRATIA,*

*Læta Viro GRAVITAS & mentis AMABILE PONDUS,
Et sine TRISTITIA VIRTUS: non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam lævo quærebat limine vite.*

Laudat Scriptor & ipse non tacendus, *TACITUS*, in Tito decorem oris cum quâdam *Majestate*. Laudat oris, cum *Autoritate* conjunctam, in Trajano *gratiam* optimus Imperatoris hujus Panegyristes, *PLINIUS*. Quanti & hæc duo conjuncta idem æstimaverit Scriptor, passim in *Epp.* è non paucis ejus formulis animadvertere licet. Nunc enim, quantum *AUTORITATE* vel *GRATIA* experior? nunc, quanta *Gratia*, quanta *Autoritas* in una vilissima tunica? nunc, quam pari libra *Gravitas* *Comitasq;*? ille quærens scribit. Ergo his duobus, *AUTORITATE & GRATIA*, nitere Scholicus debet Magister. Cætera enim omnia, quantacunque sint, si adsunt, parum profunt: nisi utraqve accesserit. Ita verò accedat *Autoritas & Gravitas* necesse est: ut illam par jucunditas condiat, tantumque & gratiæ adjungatur gravitati, quantum requiritur.

Et sanè, *Autoritatem* quum aut *Natura* afferat, aut *Tempus*, *Nature* verò *Autoritas* in *Virtute* sit maximè, & ex ea maximè profuat, hanc cum primis publicus Præceptor parare crebris sibi actionibus gestiât. Neminem dedignatur *Virtus*, sequitur omnes proximè à tergo, imò comitatur plerosqve sui cultores: exerceri vult à volentibus: vult æstimari ab occurrentibus. Sed *Autoritatem*, *Tempus* quam affert, etiamsi parare nobis ipsi non valeamus: (quis enim fingere se alium, quam fert *natura*, posset?) certum tamen est, maximam quoq; *Autoritatem* Magistro à facundiâ, si rara; ab ingeniô, si promptum; ab ætate, si matura sit; à solertiâ porrò ac promptitudine in agendo non vulgari, ab excellenti corporis statura, à fortuitis deniqve naturæ bonis ac donis aliis, conciliari. Respicit eò ex parte *Stagirites*: dum, Præceptores sibi

Autoritas unde paranda?

D

dari,

dari, postulat *ἐμπειρία καὶ ἡλικία ἰκανοὺς*, h. e. *qui experientia & aetate ad docendum sint apti*. Profectò enim, qvi in animi sui regno nondum est, qvi ab affectibus suis nunc huc, nunc illuc, nunc istuc rapitur, in lubricò ipse adhuc hærebit, neqve & facile ille, *Persiana* ut utar *Phrasi*,

surgentem dextro monstrabit limite callem.

CONCLUSIO.

Ad Inaugurationem accessus.

INAUGURATIO ipsa.

Plura rebus sic stantibus, stantibus per bene PRÆCIPUIS, quas ordine suo, *CL. MECHOVII* vestigia ac verba passim secutus, posui, MAGISTRORUM SCHOLICORUM QUALITATIBUS, quid confector? Confectorer equidem stylo meo plura, h. e. plura in rem præsentem dicerem, svavissimamq; MULTÆ illius SCIENTIÆ, VARIÆ item VIRTUTIS & AUTORITATIS MAGNÆ, in Scholarum Magistris confociationem dignis suis laudibus seorsim celebrarem, Venerabili Auditorio vel inde colligendum ultrò relicturus: quantum semper pretii publicis illis Juventutis ingenuæ Gymnastis & Exercitoribus, morum illis puerilium ac juvenilium Moderatoribus Censoribusq;, animorum illis Parentibus, optimarum illis Artium Auctoris virtutisq; Nutritoribus, illis deniq; publici seminarii Cultoribus ac Custodibus, statuendum sit: nî, ampliori verborum circuitu misso, plenis mihi velis ad id progrediendum foret, cujus gratiâ hodierna Panegyris est instituta. Nôstis, *Auditores*, *CONSCRIPTOS PATRES* suffragiò communi dudum decrevisse: ut, posteaquam *Vir Præclarissimus, DN. M. ABRAHAMUS VECHNERUS*, *Gymnastii nostri per aliquot lustra Pro-Rector longè meritissimus*, oculorum hebetudine coactus, Spartam superiori annò resignasset, atq; vacantem eam Cœnobio excedens reliquisset, Pro-Rectori huic honorificè dimisso Con-Rector, Con-Rectori Sub-Rector, Sub-Rectori novus Collega, aliunde vocatus, succederet. Quoniam verò benignissimam hanc suam voluntatem *AMPLISSIMUS ORDO*, tam ulteriori Superiorum Collegarum promotione, quam legitimâ novi Collegæ vocatione, declaratum tandem ivit, atq; is ipse per *AMPLISSIMOS CURATORES SCHOLÆ NOVELLUM* nobis PRO-RECTOREM, CON-RECTOREM NOVELLUM, NOVELLUMq; SUB-RECTOREM, nuper sistere haut dubitavit: subsequæ voluntatis Senatoriæ suâ eò nunc tendit: ut & novello Nomine ac Titulo designati Collegæ, & Collega noviter vocatus, omnibus Gymnastii Civibus publica ac solemnè inauguratione sistantur.

Quamobrem, quod felix, faustum fortunatumqve Sacrosancta jubet Trias, Nomine & Autoritate publicâ Ego CHRISTIANUS FUNCCIUS, legitimè ante hos duos & viginti annos vocatus ac constitutus Rector, Vos Clarissimos Viros, nominatim Te DN. MARTINUM RICHTERUM *Novellum PRO-RECTOREM*, Te DN. CHRISTIANUM HAUFFIUM *CON-RECTOREM Novellum, Novellum* insuper *SUB-RECTOREM* Te DN. JOH. WENCESLAUM HEINKIUM, Civibus nostris renuncio ac sisto. Neq; verò quemlibet Vestrûm novo cum Nomine ac Titulo tantummodò sisto, publiceq; jam renuncio; verum etiam jura omnia, omnem autoritatem, omnes fructus, quibus Antecessores vestri

vestri unquam gavisi fuere, tribuo. Trado adhuc Vobis *LEGUM SCHOLASTICARUM*, quæ non obscure, quid à Discipulis postulare debeatis, declarant, *TABULAS*. Trado *DOCTRINÆ* ac *DISCIPLINÆ* nostræ *CORPUS*: quod utriusque illius rei terminos, posthac quidem à Vobis observandos, describit. Trado *oblongioris formæ CATALOGUM*: è quo enotetis singulorum Classis hujus superioris Civium nomina: ut in numerato ea habeatis ac censu: si qui in Lectionibus vestris absentes notandi. *SEVERITATIS* ad hæc *SCHOLAST. SIGNUM* trado, à Vobis, si quando sola monita juvenum puerorumque animos inflectere nequeant, usurpandum. Cæterum Vobis superiorem hanc Cathedram, quam peroraturi, certissimamque & simul Patronorum Vobis faventiam nec non audientiam pollicitaturi, meum post descensum conscendatis, aperio. Aperio, quod unum supererat, tergemnam, in qua saltandum Vobis, Rhodum, h. e. copiam in tribus Classibus docendi Vobis facio, vitam, mores ac studia fidei vestræ, ut jamjam concreditorum, ita & posthac concredendorum Discipulorum committens ac commendans.

Macti vestrâ, *Conjunctissimi Domini Collegæ*, Eruditione ac Virtute, quâ, præter cæteras docentium Qualitates, aucti estis, estote! Estote, divina ope adjuti, in ornanda Sparta vestra gravi & alacres, nihil, quod arduum apparet, superatu vel ascensu impossibile fore, credituri. Erit Vobis propitius *DEUS*: gratiosi undiquaque, sive promotionem fortuna, sive defensionem aliqua difficultas requirat, erunt Patroni. Erit amor Per - Reverendi Ministerii semper Vobis paratus: benignus Civium erit favor. Nec desperabitis de meo affectu unquam: quippe qui semper levato, quod dicitur, velo Vobis patebo, in officiis, in studiis, in auxiliis promptissimus futurus. Ipsi quoque Auditores vestri, nisi omnium sui futuri sint dissimiles, Vos non deserent, suam à Vobis Eruditionem auctum iri nunquam diffisuri.

PARAENESIS
ad
COLLEGAS.

Pluribus Vos Viros optimos alloqui jam supersedeo, & ad florentissimam in hoc Orationis calce discentium Coronam, quam tandem compellem, me converto, finem dicendi paulò post facturus. Accipite, ô accipite Adolescentes, accipite adolescentuli, accipite pueri; majores, minores, medioximi accipite; accipite *Primani*, Vos *Idani*, Vos & *Tertiani* accipite hos Studiorum vestrorum, vitæ ac morum Magistros: qui vos in bonam suam fidem, in amorem ac favorem suum recipient, mecum communes conjuncturi operas: ut ex hoc Gymnasio, tanquam ex eqvo Trojano, Viri aliquando ad omnes vitæ humanæ status applicabiles prodeatis! Quæso vos, *Optimi Discipuli*, ita omnino facite: ut omnem Musis ac Gratiis lætitiâ & alacritatem afferatis, vestram industriam nobis probetis. Cogitate, ad id, quod expetitis, quod quæritis, nihil requiri à vobis, post pietatem, post obsequium, nisi, quod salvâ conscientiam, salvo vestro officio, excusare haut potestis, discendi ardorem ac laborem. Hæc, hæc duo per amœna bonarum Artium, Sapientiæ ac Virtutis, vireta ducent, atq; ad supremæ dignitatis fastigia in fine laborum vos extollent, exiguum illud ac breve vitæ curriculum immortalis olim gloriâ & fructu compensatura.

PARAENESIS
ad
DISCIPULOS.

DIXI

BONUM

FK Tg 202

BONUM FACTUM!
DEI IN UNITATE TRINI,
QVO FAVENTE INCONCUSSA RES PERSTAT SCHOLASTICA;
GRATIA,
NEC NON
AMPLISSIMI ORDINIS
AUSPICIIS,
FRETUM
GYMNASIUM GORLICENSE,

QVOD
A DOTATORE SUO AUGUSTISSIMO
AUGUSTUM

EX MERITO SALUTAMUS,
SOLE CRASTINI FELICITER ILLUCESCENTE,
EIDIBUS VIDEL. MARTII,
HORA ANTEMERID. OCTAVA,
NOVO CAMPANÆ PULSU INTIMANDA,
INTER CONCENTUS MUSICOS,

ACTUM INAUGURALEM,

INAUGURATIONIS SOLEMNIORIS MEMORIAM CONSERVANDI ERGO,
DABIT.

COMITIO PROIN GYMNASICO
GORLICIVM LITERATUM,
ET QVICQVID MUNERUM MERITORUMQVE PUBL.
NOMINIBUS CORUSCANTIUM, MUSISQVE NOSTRIS PRETIUM
STATUENTIUM, EST CAPITUM,

CAPITUM QVICQVID EST,
DEMISSA OBSERV. PROMPTIS OFFICIIS, AMICO STUDIO,
VERENDORUM, COLENDORUM, SUSPICIENDORUM,
SPLENDIDAM AC HONORIFICAM PRÆSENTIAM UT INDULGEAT,
INQVE MAJORI COLLEGII AUDITORIO

TRIUMVIROS CLARISSIMOS,

I. NOVELLUM PRO-RECTOREM,
MARTINUM RICHTERUM,
ERUDITIONEM JUSTINIANO I. ASSERTURUM;

II. NOVELLUM CON-RECTOREM,
CHRISTIANUM HAUFFIUM,

IMPEDIMENTA STUDIORUM IN DISCIPL. OSTENSURUM;

III. NOVELLUM SUB-RECTOREM,
JOH. WENCESLAUM HEINKIUM,

CERTISSIMOS PROBORUM DISCIPULORUM CHARACTERES EXPRESSURUM;
ELEGANTER DICTUROS OMNES AC BREVITER,
BENEVOLE AUDIAT,

CUM PROLIXA OFFICIORUM RECIPROCORUM OBLATIONE
ENIXE AC NON PERINDE CONTENDIT
CHRISTIANUS FUNCCIUS, R.
INAUGURALI SUA

DE
PRÆCIPUIS MAGISTRORUM SCHOLICORUM QUALITATIBUS
ORATIONE PROLUSURUS.

P. P. GORLICII LUS. DOMINICA REMINISCERE,
ANNO EPOCHES CHRIST. VULGARIS ab DE LXXXIX,
ÆRÆ GYMNASICÆ CXXIII.
LITERIS ZIPPERIANIS,



1017

mc

AUGUSTI AD NISSUM GYMNASII
MAESTRIS DEYTERRIMIS,

Clar

Humanissimis,

DNO M
DNO O
DNO JO
DNO CH
DN. GOL
DNO JO
DNO CH
DNO G

TERO, Pro-R.
UFFIO, Con-R.
EINKIO, Sub-R.
OLLERO, Cant.
EGERO, Coll. VI.
AVIO, Coll. VII.
NCCIO, Coll. IIX.
HESEO, Coll. IX.

legis suis, suis & Com-
, Affini item & Filio,
singulis Capp.

D. D. D.
TIANUS FUNCCIUS,
Rector.

10.

A Ccepta
Off
Est non tan
Men
Respicite hi
Et me
Vester erit t
Seu Sc

prendite Chartam:
FUNCCIADÆ.
Symbola Mentis,
ipſa cupit.
, fronte ſerena,
te Senem.
nebit:
micet.

